

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 84. (Neovidensis 1807. Nro. 83.)

*Politicum Colloquium
Vivos inter et vita functos.*

Elysium-Meum.-Die Martis 27. Octob. (Neovid. 14 Oct. 1807.)

Quod praedecessores nostri geographiam physicam adpellant; ex hoc moderni novum Topographiae systema, quod Statisticam nominant, formant.

Burton ad Elbert Ep. I.

Colloquentes Manes.

Bernardus Varenius. Joannes Stöver.

Varenius. Feror curiositate te alloquendi; nonne Joannem Stöver Altonensem Ephemeridum scriptorem affandi habeo honorem?

Stöver, Cur hoc rogas?

Varenius. Cupio super quodam argumento reddi certior.

Stöver. Assequor mentem tuam, ego vicissim novorum gravissimum tibi narrandi consilium habeo; videlicet: Regem Sveciæ 7. Sept. ægrotum Rugia Carolocoronam delatum, 15. reginam etiam exacto triduo itinere ex arce Haga ad eandem urbem adpulisse. Id memoratu dignissimum: 16. Sept. Comittem Liliæ Duceinque Engolismensem navein

Classis Svecicæ *Freyæ* Memelensis Carolocoronæ conscendisse, eodemque die Sveciæ regem Comiti Liliæ cunctos ejates officiales in conspectum adduxisse; ex quibus novis facili colliges opere, Russiam Comitem Liliæ novæ cum Gallia amicitiae gratia e territorio amovisse suo.

Varenius. Nequaquam hæc erant voti potiora mei.

Stöver. Fortassis scire cupis, quo nam tempore Angli Seelandia decessuri sint; id admodum incertum; Anglicanarum Copiarum pars Helsingoram progressa est: pars in Insula Seelandia hybernas stationes petiverunt. Expectatio: propediem ultro Insula decessuros, nullis rerum adjunctis firmari videtur; Advertendum propterea: Regem Sveciæ, cujus valetudo sinistra non aliunde quam ex animi indignatione orta, in prosperrima die 23. Sept. Helsingborgam, quæ Helsingoræ obiacet, adpulisse, Helsingborgæ trinæ Russicæ Classiculæ pro portu consistunt, inque ejatibus maribus Anglicanarum navium bellicarum ingens visitur numerus. Jam in eo cardo rei versabitur: utrum Svecorum Rex communem cum Anglis causam facturum sit.

Varenius. Neque hoc argumentum meum sollicitat animum.

Stöver. Ergo Calendis Octobribus procella orta te afficit. In hac materia Vindobona sequentia scribuntur: „Matutina hora 2. die 1. Octobr. vehemens furebat turbo, modico tremore terræ mistus, qui universam ur-

bem in terrorem coniecit. Vis turbinis tanta fuit, ut celsissima Augustinianorum turris Ecclesiæ aulicæ subito hora 3. ad medium usque murum diffracta, delapsaque fuerit; id prospere evenit, quod moles decidua in mediam plateam citra detrimentum ulterius ruerit; pluribus turribus clades inflicta, quarum aliquas demoliri oportebit. Cuncta compita diffractis fenestrarum tabulis, imbricibus e. i. g. a. redundabant, amplissimarum ædium postes compressi, aut cardinibus moti, tecta validissima detracta, muri collapsi, aliquæ campanæ, quin a quoquam moverentur, sonum edebant. In voluptuario loco Prater nuncupato, ætate & soliditate præstantissimæ arbores radicitus evulsæ; in summa: hoc phænomenon terrificum ultra modum fuit, fuissetque multo adhuc terribilius, animosque incolarum perculisset vehementius, si diurna luce evenisset. Damnum terribili hao strage ruri, & patentibus campis illatum æstimari nequit. Barometrum secundum institutas plures observationes reapse terræ motum indicabat.

Varenius. Vere res ardua ac difficilis sermonis occasionem recipere, dum Ephemeridum cum scriptore colloquium instituitur, etenim nec hoc erat quod scire avebam.

Stöver. Jam jam intelligo quædam de dulci natali solo tuo Hollandia audiendi animum habes. En! quæ Haga Comitum de 6. Oct. referuntur: Turbo de 30. Sept. multam stragem oræ intulit. Texeliæ & Helderæ multæ

regiarum navium destructæ, & vitiatæ. Harlemi & Amstelodami aqua insolitam assurexit in altitudinem.

Rex normam agendi publico Edicto vulgavit: qua diversæ præstationes percipiendæ, quave rationes per partes dispertiendæ sint. Id quoque asseveratur: a rege Decretum editum quo in locum veteris aulæ nova regia ædes struenda præcipitur.

Varenius. Nihil horum, obsecro, obtestor, noli auribus meis recensendo novitates officere.

Stöver. Ecquid desideras igitur? —

Varenius. Procul dubio constabit tibi: me auctorem esse *Geographiæ physiciæ*. Jam vero ex multis ad has regiones adpellentibus intelligere debeo, laboriosum hunc ingenii mei partum, hoc multarum vigiliarum opus, *Statisticæ* dignitate inferius esse; quæso dic, quid tibi nomine *Statisticæ* venit?

Stöver. Ea viva *Geographia* adpellari potest; quæque enim recenset, quæ cultura, res æraria, nationalis industria &c, in *Statu* quopiam complectitur.

G e r m a n i a.

Regiomonto 28. *Septemb.* In argumento datæ fundorum in occidentali & orientali Prussia possessoribus facultatis: solutionem Censuum, & Summarum Capitalium prorogandi, quin a Creditoribus ad persolutionem adstringi queant, sequentia nunc curatius definita sunt: Cum exordio anni 1808 Census currentis quavis vice ipso, quo cedunt, die, re-

sidui vero in 4 terminis, primo die cujusvis quadrantis anni exsolvendi sunt. Qui elapso 19 Maji memorati anni debita contrahit, terminosque præstandæ solutionis stipulatur, is salvo generali Indultu satisfacere obligatur, eum exordio anni 1809 quævis deinde adhuc residuæ summæ a debitoribus medio coactorum, quæ usuveniunt, debita recuperandi subsidiorum (puta: subhætionis, & personalis arresti) colligi, recuperari, & edici poterunt.

In publicis paginis de ortis in Polonia turbis quædam legebantur; res est parum notabilis & sequentibus Varsovia de 28. Sept. litteris illustratur: Traditio Magi Ducatus nostri in fidem Regiæ Majestatis Saxonicæ die 17 h. m. Berolini inter plena rerum gerendarum potestate instructos mandatarios Imperatoris Galliæ D. Generalem Intendentem *Darvu*, & Regium Saxonicum, plena pariter cum rerum gerendarum potestate instructum Mandatarium *C. Kutakowsky* peracta est. Cum plures Polonicæ militares personæ animum adjecerint, Colonistas germanicos in Polonia sedes habentes convitiis & contumeliis lacerandi, eapropter bellicus minister die 22 h. m. Edictum vulgavit, vigore cujus serio animadvertendum præcipitur, si quis sub sinistra suspitione: quasi exteri foreat, in animum induceret, hos Colonistas, quibus status publicus industriam, & commercii incrementum debet, seu verbali, seu reali injuria adficere, eosque vexare. — Ut vero

tanto minus necessaria vitæ subsidia desint, specialis sub nomine *Collegii annonarii* Commissio erecta est, quæ omnium ad hoc argumentum quoquomodo pertinentium curam habitura; constat ea 4 membris, quibus *C. Kutakowsky* præsidet, & immediate subest dirigenti Commissioni.

Urbs *Dantiscum*, quæ Gallis contributionem 20 millionum dependerat, in vicem ejus omnes quæ in urbe reperiuntur naves Anglicanas, & merces consequitur, præterea titulo prorogatorum finium denos miliones persolvit, qui in ambitu ad 4 horas a vallis urbis inchoando protenduntur; Cohors subsidiaria Generalis Ducis *Oudinot* propediem urbe decedet.

Dresda 6. Octob. Sequens apud nos Edictum emanavit. „Cum Sua Regia Saxonica Majestas regimen sibi delati Ducatus Varsoviensis jam adiverit, suarum partium esse existimabat, germanicis Officialibus, qui antea in diversis memorati Ducatus muneribus constituti erant, & medio tempore libellis supplicibus hoc argumentum respicientibus, ad Suam Majestatem recurrerunt, suam sententiam in hoc argumento in summa utprimum fieri potuerit, & quidem medio edicti publici notam reddere, eo benevolo fine & consilio: ne ii diutius incerti, quod opinati ad præsens non fuissent, hæreant; per quod ad frustraneas spes perducii possent. Notum iis satis; partim dimissionem stipendiis præhabitis & eorum restorationem jam ante suscep-

tam, quam Sua Majestas regimen adivisset, minime proin mirari possunt: ut ut dolorosa quorundam conditio etiam fuerit, si Majestas ex status ratione partem capere nequirit, cum eos non amplius officiis defungentes repererit, & Constitutio eorum admotionem in Ducatu, in quantum cives non sunt, non admittat. His, ceu legem adoptandis rationibus eos erudiendos Sua Majestas ex eo duxit: ne per dilationem perspicuæ declarationis ab ulterioribus suæ sustentationis mediis exquirendis abstrahantur. Dresdæ 2, Octob. 1807."

B I O G R A P H I A

Bernardus Varenus natus in Hollandia clarissimus suæ ætatis Geographus auctor operis: *Geographia Universalis in qua affectiones generales telluris explicantur*: *Cel. Newtonius* hoc opus tantifecit, ut in Anglicanam linguam traduceret, notisque illustraret. Habentur nostra ætate multa geographica opera, *Vareni* *Geographia physica* insignem nihilominus præstat utilitatem, & fortassis perfectior est aliis, quæ manibus versantur *Breviariis* & *Compendiis*. Editio hujus operis *Cambriensis* de Anno 1672 in 8vo rara est, & a peritis studiose quæritur.

Stöver (*Joannes Hermannus*) *Rektor Buxtehudensis* natus *Verdenii* 10. Febr. 1764. pluribus annis privatum egit Secretarium apud status ministrum *Altonensem Schirach*, in cujus politico *Diario* elaborando operam locavit, atque ab Octobri 1786. *Altonensem Imperialem Cursorem publicum* concinnavit. Anno 1792. *Rektoris* fasces *Buxtehudæ* consecutus, in qua urbe 2. Martii

1797. supremum diem obiit. Plura ejus historica & statistica opera celebrantur; *Descriptio Imperii Ottomanici* 1783. *Saxoniae inferioris politicus civilis & litterarius status*. 3 Tomuli 1789 (sub titulo G. A. Publicola) & alia plura; verum maximam nominis claritatem adeptus notatu dignissimo historico opere, quod 1791. sub titulo: *Seculum hodiernum, sive Schema memoria dignissimum factorum & eventorum, & celeberrimum in iis virorum*, quod opus Cl. Professor Halensis *Vossius* post ejus fata proaeutus est.

P U B L I C A T I O.

Domino Antonio Kialtosy, pro Linguae ac Lit. Hung. Professore ad A. Gymnasium Budense promoti, Cathedra I. Grammaticae in Gymnasio Vacienti vacans effecta est. Cum vero A. R. P. Scholarum Piarum Provincialis, ob defectum Individuorum Religiosorum, Professore ad hanc disponere non possit, & elementaris Classis magistri suis cum discipulis per omnes Grammaticas Classes ascensuri, deinceps per Concursum deligendi Ex. Loco praecipiantur: pro vacante in Gymnasio Vacienti elementaris Grammaticae Cathedra, Concursum publicum hic loci celebrandum in diem 16. Nov. a. l. praefixum esse notum redditur, eo subnexo: quod recursibus quoque sufficientibus idoneitatis documentis instructis, usque ad eundem terminum per Supplicantes exhibendis locus relinquatur,